

B. C. D.

*Salute officiosâ premissâ
Viros omnium ordinum literatos
Benevolè auditum*

Oratiunculam 'Απολαυτικην

CHRISTIANI SCHERZII LUSATI

ad diem V Cal April. huius anni recitandam

Submissè, veneratissime, officiosè, benevoleq; invitè

M. CHRISTIANUS KEIMANNUS,

P. L. C. Scholæ Zittaviensis Rector.

FaC PatrlaM f Lorere, DEUs!

Gorlicii

CUDebarHerMannI preLo.

Biogr. erud.

D. 1662, 48

Salutem & Officia.

Quod fugere Vos, PATRONI, non arbitror, in Legibus Scholæ bujus à Magn. Nobil. & Ampl. Senatu Reip. patriæ injunctum est Alumnis ex eâ discessuris, ut Benefactoribus & Præceptoribus, pro fideli informatione, aliisq; beneficiis, gratias habeant agantq; debitas.

Magistratus enim noster Amplissimus, quem honoris causâ nomino, præclarè intellexit, non aliam temerè inveniri Virtutem, quæ magis deceat Adolescentiam ingenuam, quàm studium εὐχαρισίας. Benignum, scilicet, est & plenum ingenii pudoris, fateri, per quos profeceris. Teste Plinio in Præfat. operis Natur. Histor. Et solet hoc gratitudinis declaranda specimen bonorum virorum animos iis, qui eâ virtute præditi sunt, maximoperè conciliare, ut, cum statuunt se beneficia non in vas rimosum aut pertusum collocaturos, eò hilariores se datores exhibeant. Ne dicam, idem hoc studium gratæ mentis studiosos in spem præclaram attollere, ut confidant, ubiq; terrarum inventuros se, quibus ob præclara sibi exhibita beneficia & multum debeant & libenter: adeoq; gratiarum actione ad plus dandum invitent quamplurimos alios. Quâ ratione fieri non potest, ut cum ipsis non agatur optimè.

Hoc pensî cum haberet CHRISTIANUS SCHERTZ. alumnus Scholæ Zittaviensis πενταέτης, choriq; Symphonici
hactenus

hactenus Praefectus, Legem, quam dixi, & sibi discessuro
religiosè observandam putavit.

Is à Patre suo, Viro pridem multùm Rever. Clarissimo
& Doctissimo, Domino JOHANNESCHERZIO, Ecclesiae Kit-
lizensis prope LOBAVIAM, Lusatiae superioris Hexapolin,
Pastore optimè merito, ingenii uberius excolendi causâ
huc missus, se ad mercaturam quandam bonarum artium
pervenisse ratus, hactenus graviter rerum suarum sate-
git, ac, dum ferrum suum in igne esset, cudendum sibi puta-
vit. Quâ de causâ etiam, Deo conatibus ipsius aspirante,
eos in studiis fecit progressûs, ut ea lucem Academicam
non ferre tantùm posse; sed etiam circumspicere censean-
tur.

Cùm igitur juxta Lucilii Satyrici sententiam crede-
ret, Boni sarcinatoris esse, ultimum centonem suere o-
ptimè, noluit hinc efferre pedem, nisi prius inclitos hujus
Reip. Proceres, Praeceptores, ac Benefactores alios, quo-
rum Munificentia, Industria & Benevolentia nunquam
non esset fruitus & adjutus, extremùm salutarè, prospe-
rè appellaret, & memorem Beneficiorum in se collatorum
animum iis probaret.

Constituit ergò ad diem Martii duodetrigesimum, præ-
misso Carmine, quo Fabulam de Ortu Palladis è Cerebro
Jovis mythologicè explicaturus est, Pedestri sermo-

ne,

ne, Benefactoribus cuiusq̄ generis gratias solenniter age-
re, & Vale ultimum dicere.

Quem actum cum aliquanto frequentius celebrari
magnopere cupiam: Viros literata Virtutis, Patronos,
Cultores & Fautores, eâ, quâ par est, animi submissione ac
reverentiâ majorem in modum rogo, ut tantum dent Pie-
tati & Φιλομαθίᾳ SCHERZII ac subtractum publicis
privatisq̄ negotiis sesquihorium illi benevolè audiendo
tribuant. Gaudebit eo favore plurimum Cliens Bonorum,
quem dixi, ut q̄ alia Eorum beneficia, sic & hoc ipsum gra-
tâ memoriâ nunquam non prædicabit. Alii præterea hâc
benevolentia & honore literis habito ad similia Φιλομα-
θίας, Φιλαρθείας καὶ εὐχαριστίας stadia ingredienda, pe-
deq̄ irretorto decurrenda, incitabuntur.

Ego verò, quod in me erit, declaratam mihi meisq̄
promptitudinem nullo non officiorum genere demereri ac
pensare sedulò studebo. Quâ in sententiâ Viros Magnos,
Claros, Doctos, Bonos, in DEO feliciter valere, Invidiâq̄
maiores florere jubeo. Scriptis Zittavia Lusatorum XII
Cal. Aprilis Anni MDCLVI.

Optima beneficiorum custos & ipsa memoria beneficio-
rum & perpetua confessio gratiarum. Chrysoft. super
Matth. bom. 25.